

II. Haud parvum qvoque copiarum numerum successive a quingenis usque ad Octogenos milites ex Svecia in Pomeraniam trajecit.

III. Nonnullas naves Danicas ex iis egressas Provinciis, quæ sub Neutralitate comprehenduntur, in mari hostiliter tractavit & abegit, atque sic ipso facto Neutralitatem rupit. Adeò ut

IV. Post percussum cum Porta Ottomannica, Christiani Nominis hærede hoste, haud excusandum fœdus, non dubitaverit, tam Hagæ Comitis quam in comitiis S. R. Imperii per solenne Scriptum, de dato ad Benderam d. 30. Novembr. 1710., declarare, (sicuti jam dum in Aula Cæsarea L. B. a Strahlenheim, d. II. Augusti e. a. contra Sanctionem hujus conventionis ejusque prosecutionem protestatus est) se Neutralitatem de qua conventum erat plane rejicere, neque ista teneri velle; Duræ insuper Phrases, contumeliosæ, & Fœderatis non ferendæ, additæ sunt comminaciones; Hanc nimirum Neutralitatis conventionem partialem esse, (cum ista tamen si Sueciæ Rex rem bene considerare vellet, in suum cedebat commodum.) Se sibi Libertatem nulla Lege limitatam reservare, ut Potentiam

Vi-